

publice profitentes, volentes ad omnium tam praesentium quam futurorum notitiam pervenire, quod exigente a nobis pio favore et gratia speciali, quam ad reverendum dominum Al. praepositum canonicorum regularium ecclesiae sancti Thomae in Lipzk et suum conventum fovemus, et pro remedio animae nostrae et peramandae conthorialis nostrae Iuttae ius patronatus ecclesiae in Schoninuel^{a)} iam dictae ecclesiae sancti Thomae et dicto domino Al. praeposito nobis peramplius dilecto suoque conventui obtulimus et contulimus misericorditer propter deum. In cuius evidentiam facti praesentibus desuper confectis sigillum nostrum appendi iussimus pro munimine et robore sempiterno. Testes sunt Johannes et Rudigerus de Geilnowe fratres, Albertus Knut, Henricus de Kokeriz, Tammo de Haldeke, Theodericus de Dewin, Johannes de Schedelowe milites fideles nostri et quam plures alii fide digni. Datum anno domini M°.CCC°.VII°. octavo Idus Septembris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem ziemlich wohl erhaltenen Reitersiegel an roth- und grünseidenen Fäden.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 199.

a) Schönefeld, Eph. Leipzig.

No. 70. 1308. 28. Aug.

B. Heinrich genehmigt die Ueberweisung der Fischereigerechtigkeit an das Kloster und befiehlt die Abhaltung der in der Schenkungsurkunde (No. 64) bestimmten Jahrgedächtnisse.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Merseburgensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris ad quos praesens scriptum pervenerit salutem in domino sempiternam. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Hinc est quod cum Henricus quondam Tilmanni cellerarii filius civis in Lipczk, fratres et coheredes sui piscationem circa oppidum Lipczk ad unum miliare cum suis iuribus et pertinentiis iure feudali ac hereditario occasione dicti patris ipsorum habuerint ac possederint et eandem piscationem cum omni iure sicut ipsi habuerunt honorabili viro domino Ottoni quondam ecclesiae Scillenensis praeposito vendiderint et deinde illustris dominus Theodericus Thuringorum lantgravius, Orientalis marchio et dominus in Growiez post liberam dictae piscationis a praedictis Henrico ac coheredibus suis resignationem ad manus domini lantgravii factam propter deum et ad instantiam dicti domini Ottonis praepositi proprietatem, possessionem et dominium praefatae piscationis cum iure, quod tunc eidem inerat vel inesse poterit in futurum, dederit donaverit et appropriaverit dilectis in Christo Alberto praeposito et conventui ecclesiae sancti Thomae in Lipczk perpetuis temporibus possidendam secundum modos et conditiones prout in litteris donationis dicti domini lantgravii plenius continetur, nos praedictorum videlicet domini Ottonis quondam praepositi et domini Alberti praepositi et conventus sui ecclesiae sancti Thomae in Lipczk precibus inclinati dictam donationem puram gratam habentes ratificamus confirmamus auctoritate nostra ordinaria et praesentis scripti